

**DUAЕ NOVAЕ INSTITUTIONES ACADEMICAE  
ATQUE DUAЕ NOVAЕ EPHEMERIDES  
IURI CANONICO PROMOVENDO  
IN AMERICA LATINA**

Recenter Facultas Iuris Canonici in Universitate Catholica Bonaërensi, in Argentina «*Santo Toribio de Mongrovejo*» intitulata, erecta est; hoc autem anno 1995 in Pontificia Universitate Mexicana Institutum Iuris Canonici erectum est cum facultate concedendi gradum Licentiae in Iure Canonico. Utrumque studiorum Iuris Canonici Centrum ephemeridem propriam edere incepit: illam Facultatis argentinensis sub titulo «*Anuario Argentino de Derecho Canónico*»; illam vero Instituti mexicani, sub titulo «*Revista Mexicana de Derecho Canónico*». Utraque in lucem edetur semel in anno.

Harum institutionum academicarum erectio atque harum novarum ephemeridum initium signa sunt evidētia studia Iuris Canonici in America Latina non esse derelicta sed, e contra, in adiunctis versari in quibus eorundem promotio sensibili favore gaudet. Hoc factum talis est significationis quod mereatur ut in *Periodica* memoretur, eo vel magis quod magna pars promotorum et professorum fuerunt alumni nostrae Facultatis perguntque esse cum eadem vinculis amicitiae coniuncti.

Quod attinet institutiones academicas, animadvertendum est quattuor tantummodo esse Centra in tota America Latina canonice erecta ad studium Iuris Canonici promovendum. Huiusmodi sunt ordine chronologi-

co erectionis: Facultas Iuris Canonici Universitatis Xaverianae, in Colombia; Institutum Superius Iuris Canonici Fluminis Januarii, Facultati Universitatis Gregorianae Aggregatum, in Brasilia; adolescentior Facultas Iuris Canonici «Santo Toribio de Mongrovejo» Universitatis Catholicae Argentinensis, in Argentina; recens natum Institutum Iuris Canonici Universitatis Catholicae Mexicanae, in Mexico.

Sunt praeterea cathedrae Iuris Canonici in aliquibus Facultatibus Iurisprudentiae Civilis Universitatum Catholicarum, in quibus nonnulli professores Ius Canonicum notabili dedicatione colunt. Fatendum tamen est pro adeo immenso territorio in quo tot catholici versantur cultores Iuris Canonici esse prorsus insufficientes ad necessitates Ecclesiae sublevandas. Ideo utinam novae institutiones nuper erectae feliciter concurrant ad huiusmodi necessitatibus occurrendum.

Quod attinet vero novas ephemerides, primum volumen *Anuario Argentino de Derecho Canónico*, constat quinque sectionibus, quae lingua hispana sic sonant: *Artículos, Jurisprudencia, Actualidad, Documentos, Legislación particular argentina*.

Sectio «Artículos», id est studia monographica, continet quatuor articulos, quorum singuli illustrant aliquem campum historicum vel iuridicum scientiae Iuris Canonici: Ignacio Andereggen (*La ley y la gracia según Santo Tomás de Aquino*), agit de relatione inter legem et gratiam iuxta Sanctum Thomam, expositionem doctrinae confirmans plurimis textibus S. Thomae quos in notis lingua latina refert (pp. 7-64); José María Serrano Ruiz, Auditor R. Rotae (*Algunas sugerencias para la interpretación del canon 1095, N. 2*) plura suggerit circa interpretationem c. 1095, 2º, quibus tamen propriam mentem circa problemata c. 1095 reaffirmat (pp. 65-85); Nelson C. Dellaferrera (*El Concilio Plena-*

*rio latinoamericano y los sínodos argentinos de principios del siglo XX*) amplam informationem offert de historia Concilii Plenarii Latinoamerici anni 1889 atque de eiusdem Concilii influxu (pp. 87-140); Ariel David Busso (*Las fuentes del Derecho Público Eclesiástico en el Concilio Vaticano II y en el Código de Derecho Canónico*) studium comparativum peragit circa fontes iuris publici ecclesiastici tum in Concilio Vaticano II tum in CIC (pp. 141-154).

Sectio «Jurisprudencia» continet tres sententias rotales, lingua latina: aliam coram Serrano Ruiz ex capite incapacitatis actricis assumendi iura et officia essentialia; duas vero coram Stankiewicz, quarum una ob exclusum ab actore bonum sacramenti, altera ob exclusa a convento bona sacramenti et prolis.

Sectio «Actualidad» notitias offert de activitate in campo canonico, in Argentina: Conventus de servitio pastoralis Tribunalium Ecclesiasticorum, 12-14 octobris 1993, de quo praebetur compendium relationum (pp. 119-236); Cursus de Vita Consacrata eiusque Missione in Ecclesia et in mundo odierno, 2-6 maii 1994, qui exhibetur uti collaboratio Facultatis Synodo Episcoporum mox celebrando (pp. 237-250).

In sectione «Documentos» textus offertur completus documenti «Aporte de la Conferencia Episcopal Argentina para la reforma de la constitución nacional», in quo principia generalia exponuntur quae regere debent reformationem Constitutionis nationalis.

In ultima sectione, «Legislación particular Argentina», colligitur legislatio complementaria hucusque edita a Conferentia Episcopali Argentina inde a promulgatione CIC. Haec collectio est valde utilis ad studium iuris particularis comparati.

Clauditur volumen ephemeridis indigitando duos priores numeros Collectionis Facultatis: P. Erdő, *Intro-*

*ducción a la historia de la Ciencia Canónica* (versio hispana), Buenos Aires 1993; J. Bonet Alarcón, *Causas de canonización. Introducción y comentarios al proceso diocesano en la nueva legislación canónica*, Buenos Aires 1993.

Quod attinet autem alteram novam ephemeridem Americae Latinae, nempe «Revista Mexicana de Derecho Canónico», patet statim eam habere similem structuram ac illam Argentinae, cum constet quatuor sectionibus, quae sunt: *Artículos*, *Jurisprudencia*, *Documentos*, *Recensiones*. Notamus differentias: In sectione «Documentos» includitur legislatio particularis mexicana, dum in «*Anuario Argentino*» sectio peculiaris habetur de legislatione particulari argentina; dedicatur sectio specialis recensionibus librorum sub titulo «recensiones», quae non invenitur in «*Anuario Argentino*».

In sectione «Artículos», inveniuntur quatuor articuli, quorum primus, in lingua italica, auctore Doctore Francisco J. Ramos, O.P. (*Il Sinodo diocesano*) agit de Synodo dioecesana in CIC, ratione habita legislationis CIC/1917 et doctrinae Vaticani II (pp. 9-19). Alter autem est Doctoris Guillermo Rodríguez Rico, O.F.M., qui sub titulo *El derecho bautismal y su actuación pastoral hecha por los hermanos menores en la Nueva España (1524-1585)* eruditissimum studium historicum-canonicum praebet circa activitatem pastorem fratrum minorum atque circa ius quod applicabant in administrando baptismo in Nova Hispania ab an. 1524 ad an. 1585. Ad finem additur amplissima bibliographia circa obiectum articuli. Tertius articulus est Doctoris Jesús Gaona Moreno (*La ley natural en la Summa Theologica*), qui arduum argumentum de lege naturali aggreditur, etsi ad unum magnum auctorem circumscriptum. Praeter corpus articuli, in notis refert integros textus Sancti Thomae, qui ad rem faciunt, id

quod facile reddit fidelitatem expositionis cum mente S. Thomae comprobare (pp. 61-83). Ultimus denique articulus (*La libertad religiosa en la Iglesia Católica*) Doctoris Miguel López Dávalos, quaestionem aggreditur de libertate religiosa tum quoad diversos libertatis respectus tum magis determinate quoad quaestionem libertatis religiosae in Ecclesia Catholica attentae evolutione historica quaestionis et doctrina Declarationis Vaticani II *Dignitatis Humanae* (pp. 85-101).

Sectio «Jurisprudencia», praeter unam sententiam nullitatis matrimonii, coram Serrano ob defectum discretionis iudicii, eduntur diversae sententiae et decreta «iurium» circa conflictum inter religiosam quamdam et eiusdem institutum religiosum. Agitantur quaestiones peculiaris novitatis et utilitatis circa conflictus competentiae inter tribunalia iurisdictionis ordinariae et organa recursus hierarchici. Exhibetur dein casus nullitatis ob defectum formae, in quo duae quaestiones peculiari attentione tractantur, scilicet an causa tractari possit processu documentali ad normam c. 1686-1688 atque an locum habuerit error communis in casu. Hae duae causae continent vicissitudines processuales particularis momenti pro iudicibus.

In eadem sectione colliguntur tria «responsa» Dicasteriorum Sanctae Sedis ad Archiepiscopum civitatis Mexici (pp. 173-178). Huiusmodi responsa indolem induunt privatam, ideoque quae de interpretatione cc. 127 et 1052 agunt, cum non sint declarationes authenticae, illam vim habent quam habent argumenta quibus nituntur, uti patet.

In sectione «Documentos» praebentur textus integri vel saltem compendium recentis legislationis mexicanae circa «libertatem religiosam», et in particulari quae attinet ad Ecclesiam Catholicam. Quae legislatio supponit mutationem copernicanam Status Mexicani in

modo sese gerendi relate ad factum religiosum, praesertim ad illud Ecclesiae Catholicae (pp. 181-220). Sequitur legislatio complementaria Conferentiae Episcopalis Mexicanae ad CIC (pp. 221-239). Pars utilis ad ius comparatum particulare instituendum. Clauditur sectio cum Statutis Associationis Canonistarum qui in Pontificia Universitate Mexicana docent vel in eadem studia peregerunt. Optimum quidem inceptum. Uti patet cavendum erit ne creentur secessiones vel multiplicentur absque utilitate associationes canonistarum in eodem territorio.

Denique in sectione «Recensiones» una tantum recensio in hoc numero praebetur, scilicet *Editio bilinguis commentata Codicis Canonum Ecclesiarum Orientalium*, parata a Professoribus Facultatis Iuris Canonici Pontificiae Universitatis Salmanticensis, Madrid 1994.

Ominamur ut utraque institutio academica, nempe Facultas Iuris C. Argentinensis et Institutum Iuris C. Mexicanum, atque utraque ephemerides, scilicet *Anuario Argentino de Derecho Canónico* atque *Revista Mexicana de Derecho Canónico*, vitam lungam et fecundam studio Iuris Canonici promovendo nanciscantur, in utilitatem Ecclesiae universalis et, in particulari, Ecclesiae Americae Latinae.

URBANO NAVARRETE, S.J.